



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructorii Conscientiæ R. P. F. Lvdovici Lopez Ordinis Prædicatorvm ...

In qua reliquæ materiæ quæ ad Instructionem Conscientiæ pertinent ex
Orthodoxis Ecclesiæ iudiciis & scholasticorum Theologorum, tum
Iurisconsultorum resolutionibus scitu perutiles latè & copiosè disputantur

López, Luys

Lvgdvni, 1588

An Canonici aßistentes ta[n]tum personaliter choro, & ibi non recitantes,
sed domi, & data opera sine attentione beneficiarij recitantes teneantur
fructus restituere. Cap. XCVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41259

mens partes, tertias tres poterit sibi applicare pro potissimis ministerijs, in quibus ministravit, dum modo pro officio recitandi horas prætermisso, quartam partem restituat, si per integrum annum recitare omiserit; quod si per dimidium anni in recitando horas, etiam priuatim defuerit, sat erit ei dimidiū illius quartæ partis restituisse, & sic proportio nabiliter, quod si, per paucos dies recitare prætermiserit obligandus est ad restituendum nihil.

¶ Ad extrauagantem Pij. 5. quæ videtur in contra astate dicitur tripliciter apparet prædictis nõ ob stare. ¶ Primo, quia Metina censet à beneficiarijs alia officia potissima etiam annexa suis beneficijs habentibus præter recitationem horarum, si extrauagans prædicta velit omnes fructus integrè fore restituendos, in his quoad integram restitutionem fructuum, eam esse pœnaalem per pœnam obligantem, cum iudex per sententiam mandauerit, ad eos omnes restituendos, & non ante, quia ante condemnationem iudicis non integrè omnes fructus restituere ualeat obnoxius, sed satis est si in conscientia, prædicto modo, & quotam prædictam ex redditibus talis beneficia restituat.

¶ Secundo responderi potest extrauagantem posse intelligi, vt de his beneficiarijs tantum loquatur alia, vel alijs obligationibus non deuinctis præter obligationem canonicas horas recitandi, quia qui in alijs præoccupantur beneficijs suis beneficijs annexis, planum est ad omnes fructus integrè restituendos, non eos teneri: sed ad quotam prædicto modo moderatam.

¶ Vel tertio motus proprius iste Pij quinti & hanc equã applicationem admittit, vt scilicet cum diffinit ob omissionem horarum fore restituendos fructus intelligatur de quota tantum obligationi persoluendi diuinum officium correspondente, & nõ de omnibus fructibus, quod in secundam responsionem coincidit.

An canonici assistentes tantum personaliter choro, & ibi non recitantes, sed domi, & data opera sine attentione beneficiarum recitantes teneantur fructus restituere.

CAP. XCVI.

Adhuc circa intelligentiam extrauagantis Pij. 5. persistentes grauius dubitari contingit circa eam, vtrum canonici

canonici quibus videntur redditus ministrari vt assistant, ac suarum personarum presentia officio diuino auctoritatem concilient si horas canonicas in ecclesijs cathedralibus seu collegialibus non recitauerint in choro: sed tantum priuatim in suis domibus, teneantur restituere eam omnem æquivalentiam, quæ æquiualeat se perceptis distributionibus. ¶ Cuius quæstionis meminit, Metina in sua instructione asseritque hoc esse dubiū graue, & quod solet pluries interrogari, & quāuis fateatur aliquos non defuisse doctores, qui tenuerint eas distributiones in casu quæstionis integre fore restituendas, fateaturque tantum proprium, id visum fuisse significare, ipse tamen negatiam tuetur partem, scilicet quod in hoc casu distributiones illæ sic receptæ à canonicis non veniant restituendæ.

¶ At verò ad hoc affirmandum, his est inductus ratio, scilicet quia potissimū munus gratia cuius, huiusmodi distributiones illis conferuntur, id est, vt sua presentia, assistentiaque chorum aliaque diuina officia auctoritates ecclesiæ presentent decorem, hocque munus videntur explere etiam dum vt prauis ecclesiastici tales canonici confabulantur in choro inter se, etiam si officium diuinum non ibi persoluant.

¶ Secundò id Metina confirmat exēplo quia res hanc incerta esse videtur quod clerici, vel canonici, dum processiones, vel exequias defunctorum funerales committunt garrundo confabulationibus inter se habitis preoccupantur, non ideo eas distributiones amittunt, quas fideles pro simili assistentia, & comitatu funeralium soliti sunt erogare, nec aliquid discriminis interesse videtur, sed eadem prorsus ratio est de clericis, seu canonicis committentibus sic processiones, aut funera, & de canonicis sic confabulando assistentibus diuinis officijs, & choro, & propterea concludit Metina extrauagantem Pij. 5. sua huic sententiæ non aduersari.

¶ Sed in contrariū est, quod prædicta extrauagantia Pij. quinti tam clare contra hanc sententiā Metinæ diffinita vt expressioribus verbis Papa non potuerit contra sententiā Metinæ edicere dum Pius. 5. ibi sic in sua propria formula & tenore verborum ait tamen aliquis choro addidit

non recitans omnibus horis canonicis, cum aliis præsens
ad sit, fructusque, & distributiones fortè aliter assignatas
sola præsentia iuxta statuta, consuetudinem, fundatione,
vel alias sibi lucrificasse prætendat, is etiam præter fru-
ctuum, & distributionum amissionem, graue peccatum
intelligat admisisse, hæc Papa.

¶ Igitur vt quid in hoc graui dubio, sentiamus aperia-
tur dico primò quod bene ait Metina contra alios, qui
forte oppositū sentiūt, ex extrauagātis Pij verbis nō clarè
conuinci, quod canonici priuatim domibus. v. g. suis, ho-
ras recitantes dum modo assistāt horis in choro, licet eas
ibi cum aliis non recitent, aut canant teneantur ad inte-
gre distributiones perceptas restituendas? Nec enim id
clarè ex Papæ verbis est colligere, quia ibi dum Papa ait,
tamen si aliquis choro addictus non recitans omnibus ho-
ris canonicis, cum aliis præsens adsit, fructus & distribu-
tiones amittat glossari recte potest, vt loquatur de his ca-
nonicis, vel choro addictis, qui cum omnino horas reci-
tare intermittant, nullibique, neque etiam priuatim eas
recitent, sibi persuadent ad eas distributiones non resti-
tuendas sat esse, etiamsi in choro inter horas canendas
confabulati fuerint, ibi sua personali præsentia assistisse.

¶ Secundò addo, quod neque ista Metinæ sententia est
omniò certa, nam & rationes Metinæ pro ea, suas non
inapparentes solutiones habent, nam ad primam respon-
deri potest, quod canonici garrientes, vel confabulantes
in choro inter diuina peragenda officia tantum abest, vt
sua personali præsentia choro, & diuinis officiis decorè,
& auctoritatè adiungant, vt more puerorum garrulan-
tium, seu homuncionum leuium quantum est ex se, con-
turbent perstreptentes chorum, & diuinum officiū detur-
pent, quare hac ratione tantum abest, vt contributionum
mercedem mereantur, vt etiam à tali fastigio eminentiæ
mereantur deturbari, sed ad confirmationem ex exemplo
canonicorum comitantium confabulando ad ecclesiam fu-
nas, non deest in promptu ratio disparitatis, quia respon-
deri potest quod cū eos ad talia processionalia funera in-
uitantes, ad pompam temporalem quandam funeralium
videantur respicere, sicut in delatione vestiū lugubrium,
sicut etiā in ambiendo sepulturā honoratiorem in loco
II Pars. F. L. Lopez in fr. Consc. P ecclesiæ

ecclesiæ digniori, solo illo comitatu canonicorum etiam inter exequias funerales garrulentum, cum potius pro defuncto preces ad Deum debuissent fundere, videntur contentari scientes iam usum. At sancta mater ecclesia non contentatur neque iure debet contentari, quia genus quoddam corruptionis, atque peruersionis est: ut qui sunt stipendiati pro cultu diuino propagando, & decore quoddam illud illustrando, suis ibi garrulis locutionibus illud interrumpunt, & quantum est ex se dehonestant, maxime cum ecclesia (prout decet,) magis eo dirigat mentem, ut sui ministri quos alit quotidianis distributionibus, magis ibi cultum exhibeant Deo ore, & mente, quam sola quadam garrula, & obturbanti diuinum officium assistentia corporali.

¶ *Quare tertio concludo, quod licet sententiam Metingæ non omnino ausim damnare, sed nec omnino acceptare, nisi cum isto grano salis scilicet quod canonici qui in consuetudinem, vel quasi in consuetudinem duxerunt, in choro quasi per totas horas non recitare, sed potius ibi confabulari, etiam si priuatim domi, vel alibi extra chorum diuinum officium recitaauerint, ad totas, vel quasi totas distributiones restituendas sunt obligati: quia iste distributiones institutæ sunt pro interessentibus canonicis horis, non assistentia tantum corporali cultui diuino repugnanti, sed illi accommodata, quia si isti canonici alia officia circa altare ministrantes peregerunt, propterea & fructus alios ultra distributiones perceperunt. Et tandem vltimo addiderim cum reliquis, qui priuatim extra chorum recitant in choro tamē ibi non recitantes si assistunt diuino officio, suis garrulationibus frequentibus non obstrepēdo, & cum aliis qui non ita grauiter delinquant, aut notabiliter recitando in choro (cum ibi præsentialiter assistant,) non deficiunt, mitius esse agendum, ut non ad totas distributiones ex mente Metingæ: sed ad aliquotam partem eorum maiorem, vel minorem restituendam pro proportione defectuum quibus in hoc deficiunt, in consuetudine sint compellendi. Si autem notabiliter non excesserint, seu parum (quia teste philosopho, quod parum est pro nihilo reputatur) non est tantopere curandum, ut propterea sint ad aliquid restituendum cogendi, sicut dicit magister Sotus quod non quicumque defectus moralis circa solutionem*

tionem diuini officij obligat ad restitutionem fructuum, ut si quis pro libito mutaret diuinum officium sine dispensatione, & sine causa, ut si recitaturus de feria recitaret de sanctis: aut e contra. Imò si duobus vel tribus diebus omitteret horas, non propterea ad restituendum maneret obnoxius quia non ita ad vnguem, & stricte voluit Concilium Lateranense ligare.

¶ Sed iam post declarationem Pij 5. in sua extrauaganti, non audeo hoc tantopere extendere, ut extendit Sotus si ex pratermissione horarum per duos, vel tres dies iuxta supputationem Pij quinti notabilis resultaret arbitrio boni viri restituenda quantitas, quia tutius est illam restituere, aut certe cum commissario ad hoc si deputatus est à Papa se componere.

¶ De eo, quod ibi superaddit Sotus, scilicet quod horas canonicas soluens, & si ob attentionis omissionem, quia verbi gratia dedita opera omittit attendere mortaliter peccet: non ideo necessitatem incurrit restituendi fructus, dubitatur, an hoc verum sit. Nam certe Metina in sua instructione fol. 15. non assentiretur in hoc Soto, aut certe videtur à Soto dissentire, vbi tradit de substantia præcepti persoluedi horas canonicas esse taliter, septem horas canonicas recitare, ut cum debita attentione recitentur, reliquaque pertinentia ad modum recitandi, & tempus esse accessoria, & minus principalia. ¶ Et adhuc augetur dubium. Tum, quia ecclesia hæc stipendia sustentationis ministris tribuit quatenus horas canonicas soluât quæ sunt laudes & orationes, quæ nomine ecclesiæ ad Deum funduntur, & orationes data opera intentione vacuæ orationes non sunt, cum oratio sit ascensio mentis in Deum factæ ex intentione. At vero qui ex cõsulto prætermittit attendere, is certe hæc intentione caret. ¶ At si quis obiecerit quod ecclesia non iudicat de interioribus, ac propterea beneficarios dedita opera recitantes sine interiori attentione, fructibus beneficialibus non priuat, responderi poterit primo, quod licet, ita sit quod ecclesia in foro exteriori de interioribus puris non se intromittit ad iudicandum, ventum tamen iam veluti cõmunis opinio recipitur, quod ecclesia potest præcipere, & obligare ad actus interiores nõ quidem puros, ut considerantur in se: sed quatenus ordi-

nantur ad actus exteriores, ut principia, vel causa, vel circumstantia necessaria actuum exteriorum, quatenus decenter fiant, ut sint actus virtutis, de quibus ecclesia potest præcipere. At verò oratio dedita opera, attentione vacua non videtur esse opus virtutis, sed irrisio, seu fictio: quare merito cap. dolentes. potuit præcipere ut deuotè in quantum Deus dederit, persoluerentur horæ ab iniuriis sacrae & à beneficiariis. At rogo qualiter deuotè orat, qui dedita opera inattente, ac per consequens in deuotè orat? Igitur cum de substantia orationis sit attentio saltem virtualis vel in principio eius, quomodo meretur mercedem seu stipendium sustentationis, qui quia dedita opera non attendere substantialiter non implet præceptum ecclesie, quia nec substantialiter orat.

¶ Sed in contrarium est quia deuotè, seu attentè recitare est modus tantum. At ommissio modi non inducit necessitatem restitutionis, sicut illam inducit ommissio cause principalis, vel conditionis, sicut est videri in exemplo capellani, cui quis stipendium subministrat, ut missas certas celebret tanquam ob causam principalem, & sub illa conditione, scilicet si illas dixerit, siue deuotè, vel in deuotè illas celebrauerit, quis dixerit eum teneri ad restituendum stipendium, eo quod in deuotè eas celebrauit? Nemo sane mentis id dixerit, quia deuotè celebrare tantum est modus obligationem restituendi non inducens.

¶ Igitur pro decisione quæstionis dico primò opinionem Soti propter auctoritatem tanti viri, licet eius rationes eam non satis persuadeant, quia ut diximus, satisque probauimus, attentio ut probe docuit Metina nõ tamen modus orationis, & præcepti ecclesie quam de eius substantia non audeo condemnare omnino, sed neque eius opinionem audeo approbare: quia si quis exacte hanc quæstionem expendit rationes nostras contra Sotum efficaciores (ni fallor) esse reperiet.

¶ Quare resolutoriè concludo quod si quis opinione hanc Soti velit sequi me consule non tam libere faciet, sed consultius erit in hoc casu compositionem, cum papa vel eius commissario super restitutione si que in hoc casu est facienda, facere. Nã & illud exemplum de missa in deuotè celebrata à capellano, que nihilominus obligationem

rem restituendi non infert, parum ad rem facit, quia talis deuotio non videtur tam esse de substantia missæ, quia missa siue deuotè siue indeuotè dicatur vera missa est. At attentio de substantia videtur esse orationis, quare respectu orantis non est oratio substantialiter, quando ex industria sine animo attendèdi fit. Secus esset, si secluso animo non attendendi horis oraret quia re vera attendere intendit, tamen in re negligenter se gerit etiam notabiliter in non attendendo, quia in hoc casu venit magis sententia Soti amplectenda: sed quando ex industria non attendit, neque vult applicare mentem in hoc casu opinio supra dicta Soti parù apparètiæ habet, vel videtur habere.

An excommunicatus, vel suspensus beneficiarius, vel non residentis in beneficio fructus faciat suos, & plura de residentia; & an non residentes teneantur ad integros fructus restituendos vel partem.

CAP. XCVII.

ET si multa dixerimus hætenus de fructibus ecclesiasticis restituendis, adhuc inexhausta est materia, quia multa perstant dicenda quare accedit & hic aliud pertinens dubium, ytrum beneficiarius suspensus; aut excommunicatus sui beneficij fructus faciat suos. Et nobis quidem placet in hac parte sequi sententiam Nauarri, qui eandem diffinit quæstionem, quæ his absoluitur punctis. Primò dicimus, quòd suspensus à beneficio non potest de fructibus beneficij dispendere, nisi ad se, & suos modeste sustentandos, & hoc si bona non habet vnde viuat secundum glossas cap. cum Vintoniensis verbo, admiserat. de electio. Clemen. vt ij qui de ætate & qualitate. capit. Pastoralis. §. fina. de appellationibus, receptas per Panor. mitan. & communem in locis ordinarijs, & in cap. Apostolicæ de exceptio.

à Nauarri
Sum. Lat.
cap. 25. nu.
10. 12.

At de suspensio à beneficio in pœnam, qui nõ potest facere, vt absoluat, venit hic supra à nobis dictum intelligendum. Secus si suspensus est à beneficio ob contumaciam, & per ipsum stat quod non absoluat, quia est in mora obtemperandi iudici, & petendi absolutione à suspensione;

P 3